

Recita tertium articulum. [Holzschnitt: Geistempfang Marias und der Jünger an Pfingsten<sup>y</sup> (Act 2,1–4)]

[76:] Credo in Spiritum sanctum, sanctam ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem et vitam aeternam. 5

Quid continetur in hac parte symboli?

Confessio ecclesiae de Spiritu sancto, de ecclesia et de beneficijs Dei praecipuis, ad quae superiores articuli principaliter referendi sunt.

Quae sunt discenda de Spiritu sancto?

Persona et beneficia ipsius. 10

Proba, quod Spiritus sanctus sit persona  
seu ὑψιστάμενον.

Quod Spiritus sanctus sit persona distincta a Patre et Filio, id confirmat illustris patefactio in baptismo Christi. Ibi enim conspicitur Spiritus sanctus specie columbae alas pandens super mediatorem.<sup>150</sup> Postea in pentecoste visibiliter apparet Spiritus sanctus specie flammam.<sup>151</sup> Tertio in formula baptismi ab ipso Filio Dei tradita iubentur baptizari homines in nomine Patris [77:] et Filij et Spiritus sancti.<sup>152</sup> Constat autem Patrem et Filium personas distinctas esse. Quare et nomine Spiritus sancti persona distincta significatur. De processione Spiritus sancti inquit Christus Ioh. 15: „Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritus veritatis, qui a Patre procedit.“<sup>153</sup> 20

<sup>y</sup> Nicht in A, E.

<sup>150</sup> Vgl. Mt 3,16 par; Joh 1,32.

<sup>151</sup> Vgl. Act 2,3.

<sup>152</sup> Vgl. Mt 28,19.

<sup>153</sup> Joh 15,26.